IGNATIJ LUPI AYALÆI,

REGII IN ARCHIGYMNASIO MATRITENSI

POETICES MAGISTRI,

THERMÆ ARCHENICÆ,

SIVE

DE BALNEIS AD ARCHENAM IN AGRO MURCITANO,

CARMEN.

MURCI:

APUD FRANCISCUM BENEDITO.

ANNO MDCCLXXVII.

Superiorum permissu.

D D GREGORIO CCNZALFZ

DE BALTRANILLA ARCELIANO DE ALMERIA

TOGATIS COLLEGIJ FULGENTINI

ADOLESCENTIBUS

IGNATIUS LUPI AYALÆUS

FELICITATEM.

Erculi illi Thebano ; qui tot pestes , innumeraque monstra hominum beneficio profligavit , ferunt olim , cum primam juventutem esset ingressurus , Virtutem , ac Voluptatem specie fœminarum simul adstitisse ; Voluptatemque , mollem ac delicatam , viam juveni amœnissimam monstrasse, suavique oratione , ac illecebris illac secum adducere fuisse conatam. Contra vero Virtutem, nativâ pulchritudine florentem, ex altera parte constitisse , gravissimoque sermone arduam , et lubricam viam indicasse Herculi, et ad illam capessendam allexisse : ex quo hominum generi immortalia beneficia confluxerunt , ipsique juveni fama nunquam interitura inter homines accessit.

Fa-

Fabulis licet hæc adscribantur ; ingenui adolescentes , sinceram vitæ instituendæ imaginem præseferunt ; fugienda scilicet voluptatum oblectamenta, virtutisque ac gloriæ studium summâ alacritate sectandum. Vobis igitur , qui Dei immortalis beneficio meliorem præ cæteris viam arripuistis , acri dilitentiâ conandum est , per iter vepribus licet, ac senticetis obsitum, ad optatam et virtutis, et bonoris metam pervenire.

Quam enim aliam vitæ rationem amplectamini, quæ gravioribus difficultatibus , periculis , fluctibusque non sit obnoxia ? Et tamen nulli majores sunt propositæ dignitates, laudes, bonores , divitiæ etiam, quàm ei quam diligentissimâ parentum curâ , vestroque assensu inijstis. Ite et virorum illustrium res gestas consulite; consulite scriptorum memoriam sempiternam. Otione, ac incuriâ tantam nominis celebritatem sunt adepti ? Imo verò labore , vigilijs , constantiâ, et sibi gloriam , et Rebuspublicis immortalia beneficia pepererunt.

Sed quid, medius fidius , difficultates ac labores vobis obtrudo? Alijs profectò hi incumbunt ; vobis fructus opimi , ac frugifera messis seponuntur : Præ-

sulem

sulem namque habetis vigilantissimum, qui innumeras curas suscipit, et in vestri omnium commodum versat, et impendit. Doctrinam præsertim quantâ diligentiâ ac judicio selegit? Doctrinam, inquam, omnium nostræ ætatis sapientum assensu comprobatam, quamque summo plausu, ac celebritate in politioribus Europæ Academijs, in ipsaque orbis Christiani magistra Roma gravissimi Doctores profitentur.

Pro abnormi illa, ac emarcida Latij sermonis barbarie et elegantem Phædrum, et disertum Nepotem, Ciceronem, Livium, cæteraque veræ eloquentiæ lumina subjecit. Pro ferrea, ac umbratili Philosophia, inutilique futilium quæstionum colluvie, naturam ipsam, Cl. Neutoni, Jacquierique placitis acutissimis expositam, docendam curavit. Jam verò Theologiæ vestræ, hoc est, Christi doctrinæ, quantum luminis, et splendoris ex Augustini oraculis accessit? Quantum roboris, et veræ eruditionis? Non enim ex ea effrænem illam disputandi pruriginem hauritis; sed pro meris nugis, quibus nonnulli Scholasticorum tempus terunt, gravissimas quæstiones contra fidei nostræ, morumque teterrimos hostes agitatis; proque horrida illa ac elumbi opinionum varietate quid sacri codices, quid concilio-

liorum definitiones, quid Pontificum consulta, quid Episcoporum provinciales consessus, quid SS. PP. gravissima testimonia moneant, jubeant, animadvertant, quin et absurda aberrantium ab fide Doctorum deliramenta probatissimis historiarum monumentis, edocemini. Quo factum est ut internecina illa discidia, quæ tantos rixarum ac contentionum fluctus pro partium studio concitabant, omnino sepulta conquieverint; satiusque sapientissimo Præsuli visum fuerit vos strenuè pro veritate decertare; quam ejusdem Christi discipulos notis acerbissimis inurere.

Quæ omnia cum ego animadverterem et prudentissimè imperata, et à vobis observata diligentissimè; non potui carmen hoc, qualecumque tandem illud est, vobis non sistere, tum ut poematio æquos æstimatores asciscerem; tum ut pro scientijs quas impensissimè colitis immortales vobis gratias agerem; tum ut et vestræ in litteras diligentiæ, et meæ erga vos observantiæ perpetuum extaret testimonium, quod æqui, bonique velim consulatis. Valete. Murci. v. Kalend. Martias an. MDCCLXXVII.

THERMÆ ARCHENICÆ.

CARMEN.

1 ARchenides umbræ, et sacri penetralia fontis,
Tuque, pater Secura, caput redimitus opacis
Et citro, et moris, necnon et arundine, et almo
Baccare Palladij fœtus; vos et, quibus olim
Tellurem hanc cessere Dij sub jure tuendam,
Numina; dum vestros juvat intravisse recessus
Antrorum, et puros latices expromere aquarum,
Este mihi faciles, sanctoque edicite vati
Quis Deus has thermas habitet? Quæ tanta potestas
Præstet opem miseris ægris? Qua lege solutos
Unda salutaris nervos, moribundaque membra,
Depastosque artus, multo et contorta dolore
Ossa, vel informi carie, vel putrida tabo
Restituat; tacito reddat vetus ordine robur,
Pæneque Tænarijs morientes evocet umbris.

2 Jam faveat quicumque Deos, quicumque Deorum
Munera fassus aquas thermarum, pronus opimis
Prosequitur donis, meritosque rependit honores.
His sanctum penetrale patet. Longè impia turba,

Et

---

1 *Invocatio, et propositio.*

2 *Ludrica non canimus.*

Et genus invisum, quod Fescennina prophanis
Carmina mixta jocis, lususque, atque improba quærit
Verba, procul cedat. Nos sancta fluenta salutis,
Nos superum donum, et præsentia numina Divûm,
Auxilium miserorum, imis reseramus ab antris.

3 Principiò montes, deductaque culmina cœlo,
Unde cavis latebris, flexisque meatibus unda
Labitur, expediam. Stat mons, et in æthera surgit
Arduus, et multis disterminat aera pinnis.
Casu nomen inest *Cervi-saltatio*: lævâ
Adspicit Arctoum volventem plaustra Booten;
Dextrâ parte tuos, properans Aurora, jugales.
At citros quandoque tumens qui gurgite volvit,
Diluvieinque agris, atque aspera fata minatur
Agricolis, montem Secura adlabitur amnis,
Et scopulos, dextram versùs, circumfluus urget.
(Tader erat fluvius priscorum ætate parentum).
Propter aquas Archena pagus; semotus ab undis
Thermarum undeni stadij spatium: ille medenti
Præstat aquæ nomen, paucis habitatus alumnis.

4 Adversus scopulus, qui *Verdelena* propinquis
Nomine signatur populis; elatior extat
Cervorum saltu, multoque cacumine nubes

Her-

---

3 *Loci descriptio.* Saltus-Cervi.
4 *Scopulus* Verdeleña.

Herbiger exsuperat. Pascentum plurima circùm
Sunt armenta boum ; per saxa abrupta capellæ
Luxuriant ; molles mixtis balatibus escas
Tondet ovis : nec tuta satis ; lupus urget inertem
Sæpe ferox, sævas pastorumque asperat iras,
Torquatosque ciet funesta in bella molossos.
5 Unda salutaris primi ab radicibus imis
Montis, et ab fluvio sex dissita passibus, altum
Rumpit iter ; sedes, et manes illa profundos
Deserit, ignotam sursum eruptura sub oram.
Fornice sub luteo clausas ebullit in auras,
Illimis ; non ulla magis christallina ; olore
Fœtida sulphureo ; nimius calor ; intima nullo
Tempore blanda manus vim perferet ; humida fundum
Pulvis habet, cineri similis; cretosa residit
Lamina canali, cujus pars maxima sulphur,
Si flammam adjicias, violentos concipit ignes.
6 Grande operæ pretium, Musis, et Apolline dignus
Nempe labor, terræque sinus, umbrasque latentes
Vestigare animis ; nigrisque haurire tenebris
Undarum flexus, purosque ab origine fontes.
Unde ferax humor, nec deficientia terris
Flumina proveniant ? vel qua ratione perennes

---

5 *Fons thermalis.*
6 *De origine fontium.*

Flumen aquas aliud plenum vehat ? unda recedat
Ex alijs etiam, et siccas ostentet arenas ?
Longum erit iste labor, nec nostrâ est indigus arte:
Namque hominum ingenium solers, studiumque re-
Non tantùm terras, latèque patentia cœli (belle
Immensi spatia, atque errantia sidera, & astra,
Astrorumque vagos cursus, iterumque recursus
Stellarum, & certis innexos orbibus orbes
Mente adijt; nigros etiam Acheronte sub imo
Ire lacus juvit; juvit sub tartara, et altas
Sub terras penetrasse, aliumque effingere mundum,
Sive immensum animal potius vidisse: capillos
Esse ferunt sylvas, saxa ossa, & flumina venas.
Quin etiam in medio latis fornacibus ignis
Æstuat; aut animam, aut cor dicas: ille frementi
Vortice flammarum ferit irrequietus in orbem
Ingentes artus, terræque immania membra.
7 Sed procul hinc fugias, tenuis mens: parce recen-
Parce vetustorum dictata refellere; lapsi (tum,
Seu veniant fontes, occulto tramite, patre
Oceano; pluvijs seu descendentibus intrà
Viscera terrarum serventur stagna, lacusque,
Præstatura sacris illimes fontibus undas.
Seu natura parens immoto provida cursu

Suf-

---

7 *De ea opiniones.*

Sufficiat terræ liquorem, quo sine turpis,
Aridaque humanam premeret discrimine prolem.
Sit vapor, aut rursus lapsi sint aere rores;
Sit fluvij quamcumque cupis, sit fontis origo,
Et quascumque velis undarum edissere causas.

8 Majus opus superest: cur certis finibus undæ
Thermales vivo argento, vel sulphure, et auro,
Aut puro argento, sale, vel ferrugine nigrâ,
Calce, pice, aut cretâ, crassoque bitumine mixtæ,
Proveniunt? Calor unde fluit? Quæ tanta metallis
Insita vis, hominum ut valeat depellere morbos?

9 Nunc ades, alme Deus, rerum causa, arbiter orbis,
Ægrorumque salus, undarum fons, et origo:
Da rerum secreta, pater, cognoscere, et imas
Sub tenebris peragrasse vias, et nosse latentes
Thermarum causas, ægrisque afferre medelam:
Ut mea per populos vulgata poemata, in undas
Archenæ, ex qua parte polus fugit aurea Solis
Lumina; qua patitur tellus combusta calores
Desuper urgentes; qua primùm Phœbus anhelos
Jungit equos; fessos tandem aut qua condit in undis,
Alliciant gentes, sancto quæ ab gurgite noscant
Te, Deus, humanæ miserantem incommoda prolis.

---

8 *De thermarum origine.*

9 *Invocat Deum.*

Te sine nil altum mens inchoat: eja age, vati
Præstò adsis, pronusque animis illabere nostris.
10 Scilicet hæc moles qua latè extenditur, ultrà
Quam finem humanæ possint comprendere mentes,
Vasta, ignota, ingens, nigra intra viscera, cæcas
Speluncas, latebrasque, domosque, cavosque recessus
Occulit. Heic latis audax fornacibus ignis
Vorticibus rapidis, violento et turbine circum
Orbem agit: exundant flammæ,specubusque cavatis
Perpetuo motu in terrarum extenta calorem
Diffundunt. Notus calidis mons Ætna caminis,
Terrarum impulsu, et lambentibus æthera flammis,
Quin etiam motu, et gemitu, et candente favilla
Sæpe Vesebus agit populos, & territat urbem
Parthenopen. Multas ferventi ex æquore terras
Horrifico tonitru, spumisque frementibus, altum
Erexisse caput; multas sub tartara motu
Terrarum cecidisse urbes, ignique furenti
Exarsisse ferunt. Miseri nos! qualia monstra
Vidimus! Heu, nimium sævis agitata flagellis,
Mollis Ulyssipo! Tales sensere ruinas,
Monstraque Manilæ vicinæ fluctibus oræ.
Adde et ad Ægæam medijs è fluctibus actam
Ignotas terras lucem adspexisse renatas.

Causa

Causa calor nimius, qui dum sub fornice volvit
Indomitos flammarum æstus, expansus in auras
Æthereas, dum quęrit iter, disrumpit aquarum
Impositam molem; aut gravitantia pondera terræ
Disjungens, pavidos populos absorbet hiatu.

11 Hæc rara, et casu paucis sunt cognita sæclis
Prodigia: impositis semper sub legibus ardor
Intus agit flammas, et notis volvitur antris.
Hinc molem immensam fovet, et pretiosa metalla,
Contigua insano si fors objecerit igni,
Eliquat, et lentæ disjungit pondera massæ.
Inde etiam thermæ; nam cum moderata fatigat
Flamma cavas latebras, simul adlabentia propter
Murmura serpentis rivi, cæcosque meatus,
Et tenues venas, et inani pondere guttas
Calfacit: hinc tranquillus iter delabitur humor;
Et fluit æthereas sensim stillatus in auras.
At loca, quo rapidis magę sunt amota caminis,
Hoc minus ardorem, minus et vibrantia flammas
Lumina percipiunt: quæ proxima labitur unda
Æstuat illa magis, fluidisque immixta metallis
Volvitur, et secum fert destillata calorem.

12 Nec tamen ausus ero dictata refellere vatum,

Qui

---

11 *Inde thermæ.*

12 *Et ex collusione sulphuris, &c.*

Qui caluisse ferunt thermas, quod tramiti opaco
Quo labuntur aquæ, ferrugo, sulphur, alumen,
Multaque calx insit, quæ sensim humore rigata
Ferveat, & lymphis præstet diluta teporem.
13 Verius id, multoque magis rationibus aptum,
Quam currentis aquæ, lapidumque illisibus aspris
Ardorem tribuisse. Vides è monte rigenti
Præcipites egisse vias, multoque fragore
Inlisas undas? Spumas salijsse frementes,
Semotamque, gravi compleri murmure sylvam?
Et tamen undarum est nullus calor. Impetus ergo,
Atritusque, licet perque ardua, et aspera saxa,
Quî dabit ardorem sensim elabentibus undis?
14 Frustrà etiam radijs tribues solaribus æstus,
Thermarumque ignes. Solem quî dicere possis
Intima sub terræ tantos agitasse calores?
Quî rivos procul amotâ effervescere flammâ?
Cum vaga vix possit Sol pellere frigora? vix et
Calfaciat fontes, fluviosque æstivus apertos?
Sit licet ille parens multarum lumine rerum,
Is foveat segetes, natas is nutriat herbas;
Aereas volucres, pecudes, genus omne animantum,
Ipsum hominem recreet; cæcis alimenta metallis

Suf-

---

13 *Non ex motu aquarum.*
14 *Nec ex radiis solaribus.*

Sufficiat, vel duret aquas, atque inde metalla
Gignantur; tamen ille cavas non transit in umbras,
Nec potis in rivos flammas urgere remotos.
15 Falsa quoque ostendis, salse ò Democrite, sensa,
Cum calcem affirmas corrasam præpete cursu
Delabentis aquæ, et multo fervore diremptam,
Commixtamque undis, nimij causam esse caloris.
Dic age; pars eadem calcis mordetur ab unda
Semper? ait nemo. Diversa ex parte feruntur
Diversæ partes: ergo qui labitur ævis
Innumerabilibus (calcem cum mordeat) humor,
Lamellas corradit. Iter mutaverit ergo
Unda fluens; cum calx humore liquata perenni
Objiciat rimam, quæ pronam absorbeat undam,
Divertatve aliò, ni fors con sumpta recedat.
16 Pugnat et historie, pugnant monumenta priorum
Democriti asserto. Nondum sua lumina natus
Intulerat terris Jessæus origine Christus,
Notus et Archenæ jam mons thermalibus antris
Excierat gentes, sanctumque adiere liquorem
Inde Tagi populus, populusque hinc accola Bætis.
Olim, certa fides, Labeo, Capitoque Duumvir,
Lapsa refecerunt solerti balnea curâ,

Parte

---

15 *Rejicitur Democritus.*
16 *Vetus inscriptio Archenæ.*

Parte eadem quâ limpha fluit, quin invida rerum
Sæva dies aliò veteres diverterit undas. (a)
17 Nec mihi mille placent aliorum dicta Sophorum,
Seu salium pugnæ, seu putri materiai,
Seu pluvijs tribuant actis per viscera terræ
Thermarum ardorem: nulla ex his denique causis
Tantum agat, ut semper calidis ebulliat undis
Perpetuus fervor, seu Sol brebiore jugales
Incitet hybernus cursu; seu fervidus umbras
Proximior minuat, terrasque exasperet æstu.
18 Restat io! fornax, et subterraneus ardor,
Qui validum, aut lymphę lenem tribuisse calorem
Jure queant. Virtus vero, partesque natantes,
Quæque fluentisono volvuntur pondera lapsu,

Au-

(a) C. CORNELIUS. CAPITO. L. HEIUS. LABEO. II. VIR. AQUAS. EX. D. D. REFICIENDAS. CURARUNT. I. Q. P..

Hoc est: *Cajus Cornelius Capito, Lucius Heius Labeo, Duumviri aquas ex Decreto Decurionum reficiendas curarunt, ijdemque posuerunt.*

Inscriptionem hanc ex lapice siliceo, subnigro, durissimo, nec affabrè expolito exscripsi. Erutus lapis, viginti ab hinc annis, è balneo viris assignato, modo ad januam commodioris domûs sedile est.

---

17 *Rejiciuntur alij.*

18 *Restant fornaces.*

Aurumque, argentumque, et par cum sulphure alumen,
Sal quoque, calx etiam, plumbum, ferrugo, oricalchum,
Et quascumque trahunt leni cum murmure partes
Thermales undæ; combustis plurima terris,
Et liquefacta ruunt. Flammarum maximus ardor
Scilicet intus agit massas, vi fervidus urget
Pondus iners, longas venas, aut frustra minuta
Indomitus liquat, et concreta metalla resolvit,
Quæ diluta fluant præterlabentibus undis.
Hinc odor, hincque sapor, color hinc, et plurima virtus
Detergentis aquæ, vel robore lassa prementis
Membra, oculos, caput, aut nervos liquore juvantis.
19 Lambit, et atritu multas quoque radit arenas
Contiguas rivus, tenebris qui lapsus opacis,
Pondera fert secum, cursu involvente, metalli,
Atque potestates herbarum, et plurima rerum
Semina, radicum partes, bulbosque latentes,
Jucundos succos, nec notas arte medelas.
20 Thermæ hinc insignes, et quæ virtute feruntur
Balnea, diversos humore regentia morbos.
Nam non omnis aquas ægror pertentet easdem:
Acribus hic lymphis, sævisque doloribus aptam
Præstabit silanus opem; jam vulnera sanat

---

19 *Et corrasa metalla.*

20 *Hinc thermarum diversa virtus.*

Alter, et alterius medicabitur ulcera rivus.
Ille madore levat per laxa mearia corpus
Humor; at obstructas venas distenderit alter
Dum bibitur: nam quisque suis cum volvat in undis
Fons proprias vires, variâ et virtute feratur,
Providus adversis affert medicamina morbis.
Et vellem, et facilis sanctas percurrere thermas
Aggrederer, latis quas dives Iberia campis,
Montibus, aut densis sylvis, aut vallibus imis
Auxilium tribuit præsens mortalibus ægris;
Inde ubi Pyrene suprema cacumine tangit
Sidera; ubi montes Marij Tarthessia findunt
Regna; ubi jucundos Zephyros, et frigora sentit
Illiberis subjecta jugis; ubi Bætis aquarum
Regnator placidâ crinem præcingit olivâ;
Et quâ vectus Iber, Cingæque immixtus opimos
Scindit agros, calido rivos atque accipit alveo.
Non Itali certent campi, non Gallica rura;
Nec Pactolus aquas, rubrasve ostentet arenas
Thermodoon; nullas thermis objectet Iberis
Vindelicus, Spadæ insignem aut Germania fontem.
Cedunt cuncta tibi, felix Hispania: restas
Elysij pars una soli: non frigora, et Euros,
Effrænesve Notos, tempestatesve furentes,

Qualis

Qualis Hyperboreus ; sed formosissima veris
Tempora , sed cœli mitissima sidera sentis.
Te Bacchus , te casta Ceres, te Pallas opimis
Muneribus recreant ; pleno tibi Copia cornu,
Quidquid ubique alijs sparsit natura , ministrat.
Neptunus tibi fundit equos ; quin pascua Bætis,
Fluminaque olim hausit quadrupes ,dum quęreret almos
Amplexus Phyliræ pernix Saturnus ab alto.
Præcipuè in sævos ægrores sufficis undas,
Thermales undas , et amica fluenta salutis,
Queis potis es cunctas hominum dispellere pestes.
Quid *Bletisæ* (a) referam latices ? fontesve sonantes
Murmuris *Hardalidum*,(b) violentaque frigora? Frustrà
Tentarim numeris *Trilli* (c) veneranda fluenta
Dicere, et *Artigin*,(d) *Veteremve* ex nomine *Villam*, (e)
Buzotum,(f) *Sacedum*,(g) et calidæ miracula *Grænæ*.(h)
Una , caput citro , et lauro Parnasside cincta,
Murci,amor et Dryadum, veteris Murci æmula Tempes,
(Securam præter croceum , per amœna vireta
Latè exsultantem , pomosaque serta gerentem;)
Una , velut pestes hominum dijudicet , ægris
Thermales indulgeat aquas , queis provida certo

(a) Vulgò *de Ledesma.* (b) *De Hardales.* (c) *De Trillo.* (d) *De Albama in regno Granatensi.* (e) *De Villa-vieja.* (f) *De Buzot.* (g) *Sacedòn.* (h) *Graena.*

Ordine, perque gradus serpentia damna malorum
Aut fugat, aut saltem spumanti murmure placat.
Hinc fluit *Archenæ* violentior omnibus humor;
Inde tenet *Fortuna* (i) locum; jam proxima *Albamæ* (j)
Unda sonat; ruit et parili virtute fluentum
Azaraki; (k) *Mulæ* (l) ast alijs est tenuior ardor,
Vitalique tepet non dispar unda calori.
Salve, fausta parens, salve, ó carissima tellus;
Sis felix etiam, et Carolo sub principe palmam,
Sublimemque feras æterna in sæcula laudem.

22 Ast ego, cum Archenæ limes sit carminis humor,
Metam ultrà impositam patriæ raptabar amore.
Scilicet ad flammas etiam natura liquorum
Spectatur: levis inde vapor cum fugerit, intrà
Concava vasa graves partes, quæcumque manebunt,
Signa dabunt ferventis aquæ, queis dicere fas sit
Pars quota sit ferri, quota pars et aluminis albi,
Quanta salis. Lymphis Archenæ sulphuris extat
Plurima pars; salis haud minimum communis; adhæret
Calx etiam, non multa tamen; nec multa redundat
Pars salis, al-kali proprio quem nomine gentis
Dixit Arabs. Odor, atque sapor satis indicat undæ;
Prætereà tales calidis innare fluentis

Par-

(i) *Fortuna.* (j) *Albama.* (k) *Azaraque.* (l) *Mula.*

Particulas experta virûm prudentia firmat.
23 Undarum virtus, tantique ostenta liquoris
Magno olim in pretio; nostrorum ætate parentum
Contempta. Ægrotos tenuis sub frondibus umbra
Excipiebat haræ. Pharijs erecta columnis
Nulla domus magnos capiebat splendida cives.
Non mensis, lectove decor; nec profuit aurum
Cui charam impensis summis quæsisse salutem
Omnis amor. Non multa domus modo surgit ad um-
Saltantis-cervi: fragilis vix substinet imbres, (bras
Sordida, quæ nimio mussantibus ære locatur
Hospitibus. Stagnum propriori lambitur æstu
Fluminis antiquum, multoque foramine solem
Accipit, et pluvias, et rimis parietis Euros.
Hæ modo mendicis thermæ; qui sede morantur
Communi: funesta domus, nec vasa, nec ignem
Sufficit; hospitij gens nomine signat inepto.
24 Gratulor ætati: juvat exspatiarier inter
Populeas frondes, labenti murmure rivos
Excipere, et Zephyris blandos haurire susurros.
Hic choreas molles agitet Venus aurea; ducat
Blanda Thalia choros; surgant in sidera ductus
Pyramidum; clatri, vivoque sedilia saxo,

Or-

---

23 *Casæ ad thermas.*
24 *In luxum invehitur.*

Ornamenta loci, pacato vespere cives
Alliciant: natura parens, et civica virtus
Has indulget opes, animisque levamina fessis.
Quis furor? humanas quæ tanta insania mentes
Occupat? ut fessos longarum errore viarum,
Ægrotosque, inopesque levi nec porticus umbrâ
Excipiat, duro capiat nec stramine corpus
Lectulus, aut paleis, aut viti fultus iniquâ?
Hos hara fœda capit; nulli medicamina curæ,
Non cibus, aut requies: durâ versantur arenâ
Languentes ægri, queis cultro precoce vitam
Proh dolor! ante diem rapit inclementia mortis.
Ite per exemplum, genus ò mortale, priorum,
Et tantum prohibete nefas. Versate medentem
Trajanum ante oculos, Afros vel ab hospite Psyllos
Ore venenato suggentes vulnere virus,
Spartanosve senes, tumidos et ponite fastus.
25 Balnea divitibus surgunt gemina: altera tantùm
Assignata viris, sexûsque lavacra secundi
Altera. Communis geminis effunditur humor
Sulphurei fontis, qui tantum passibus octo
Dissitus ab thermis superas ebullit in auras.
26 Bina quoque ad thermas suut sudatoria: nomen

Præs-

---

25 *Balnea gemina.*
26 *Sudatoria gemina.*

Præstitit officium: nam postquam corpora sanctis
Mundavere undis, largo sudore madentes
Corpora deponunt, et tempora jussa quiescunt.
Non locus his major quam thermis: longus uterque
Tenditur in spatium quatuor non amplius ulnas.
Latior in ternas. Angusta sedilia circùm,
Saxea; debilium seu sustentacula dicas
Dum miseri mundantur aquis, seu denique lectum
Dum siccat tranquilla quies sudoribus artus.
27 Vere novo, Zephyri gratos cum blanda tepores
Aura fovet; rabidi vel postquam signa leonis,
Æstivique canis fugiat Sol aureus, aptum
Tempus erit, quo lassa petant ab fonte medelam
Turba senum; nullo fœdati crimine corpus
Intonsi pueri, pressique ad pectora matrum
Infantes, pariter juvenes, gratæque puellæ.
28 Huc ades in primis, ò quem cruciatibus horæ
Nocturnæ exagitant, tenerisque molestior hæret
Articulis dolor; et faciem cui fœtida turpat
Pustula; sollicitum tacitè quem cancer edaci
Dente premit; quem sæva premit sitis, ulla bibentem
Quem non unda levat, tumidumque in ventre venenum
Irrequietus habet caris moriturus ab undis.

Tu

---

27 *Thermarum tempus.*
28 *Ægrores curandi.*

Tu quoque, nervorum sævo distente rigore,
Cui tremulus pes, laxa manus, cui floccida cervix,
Inque humeros collum lassum jactatur utrosque,
Hinc pete vim nervis. Quære hinc medicamen acerbis
Ulceribus; licet illa genas, licet illa palatum,
Blandaque corrodant serpenti guttura cancro.
Huc etiam qui bile tument, queis pectora multo
Sanguine fervescunt; capitis cui pessimus ictus
Ossa quatit, fovet aut lentas in vertice talpas.
Præcipuè sanctus pestem emundaverit humor
Gentis Acidaliæ, quam desultoria furta
Vulgivagæ Veneris, atque inconcessa voluptas
Concubitûs effrenis acerbâ labe notarunt;
Seu tumeat collum funesto pondere, sive
Inguina, seu tandem fugiant è corpore vitæ
Semina, inexpletum reddunt cum membra soluta
Officium, cum læva manus, dexterve recusat
Pes rigidus conferre gradus, et munia certa.
Denique dum calido non sæva ardore fatiget
Languentes artus febris, dum tussis anhelum
Non quatiat pectus, mollis nec pulmo meatus
Difficiles habeat, cum respirare potestas
Parva datur, pressumque gemit raucedine guttur;
Æger, in ardentes longo semotus in orbe
Aggrediare viam, fidusque exquirito thermas.
29 Hic, natura parens, hominique impervia fata;

Ter-

Terrigenûm sortem, et sævos miserata dolores,
Indulsistis opem, et cæcis lenimina morbis.
Vidi ego septennem, puram, et sine fraude puellam
(Naturæ opprobrium dias in luminis auras
Credideris natam) diris cruciatibus artus,
Nervorum nexus; contractaque membra dolentem.
Purpureus non ora color, non corpora moles
Carnea vestibat; tenuis sine pondere formæ
Non pedibus vigor ullus erat; non brachia motum
Præstabant; rigidâ nervi compagine flexus
Impediere suos: depressus anhelitus oris,
Fixi oculi, siccæ fauces, hæsitque palato
Arida lingua; soni nulli; nec verba dolori
Infaustum solamen erant: miserabilis umbra,
Par morti; vivit, miseram quia vivere credis.
Sollicitæ gemitûs, lachrymarum et causa parenti,
Denique in Archenæ devecta est balnea; morbo
Ne non ulla forent tentata levamina; quamvis
Multa paternales spes luserat irrita curas.
Hic verò objicitur populis mirabile monstrum,
Parque Deûm signis: arentes alluit artus
Unda puellares, fugienti et reddita vitæ
Munera; paulatim redijt vigor; humida rursus
Lingua sonos, rursus motus manus apta citabat;

29 *Mortua pæne puella restituta.*

Firmior inque latus corpus movet; acrior audet
Ignotos conferre gradus tremebunda, bacillo
Nixa priùs; mox sola viæ commissa, parentem
Provocat ad cursum, rigidique per ardua montis
Jam celer, antiquam redimit violenta quietem.
30 Ecce fatiscentem, atque annorum pondere pressum,
Ulceribusque senem, qui sacri ad murmura rivi
Accedit sumpturus opem. Magis invida nunquam
Verterat in prolem sævos natura furores.
Crura senis, suræque tument; proque ulcere totum
Corpus erat; totâ regnabat mole venenum.
Nam neque erat pars ulla viri, quam fœtor, et ulcus
Non premeret, nec quæ sensus tractata cieret
Non querulos. Nullum auxilium, spes nulla salutis
Cum misero subsit; placuit tentare salubres
Archenæ thermas, tanti et miracula fontis.
Continuò sensistis opem, deformia crura,
Et plagæ informes. Largis sudoribus humor
Pestifer excutitur; sensim purgata resistunt
Ulcera; in antiquum redijt decus alba cicatrix;
Et mirata novas vires animosa senectus,
Numina inesse sacris Archenæ prędicat undis.
31 Ingenuâ formâ, pulchroque Aglaia decore

Ad I

---

30 *Senex ulcerosus.*
31 *Puella Aphrodisiaca.*

Ad Veneris præcox zonam suspenderat aram.
Mille illam juvenes petiere, et blanda furori,
Dum sibi grata placet, largas indulsit habenas.
Proh pudor! in turpem concessa licentia pestem
Quam citò in ingenuum, nec tales corpus in usus
Eductum, horribili desęvit vulnere! Pallor
Occupat os; cedunt fulgentia lumina in antra
Concava, paulatim fugiunt viresque, animusque.
Inde dolor, nervisque rigor, simul ossibus ignis
Februus. Hinc ternos jacuit miserabilis annos
Pondus iners, contempta viris, ingrata puellis,
Maxima delicti populis exempla datura.
Numina tandem orat, tandem sua crimina damnat;
Et miseris lachrymis, et fœmineo ululatu
Primævos fugisse dies, et munera formæ
Sacra ministerio Cypridis non fessa gemebat.
Quid moror? Archenę petijt moribunda lavacrum:
Tangit aquas, sentitque Deos; it sæpius undas,
Et sudore putres exemit corpore labes.
Fugit nempe dolor, fugiunt pallorque, rigorque.
Ora lepos, corpusque decor comitantur, et ipsi
Læta videbatur teneros procerior artus;
Dumque rubor veterem vestibat flore juventam,
Pulchrior infirmum pensavit fœmina tempus.
Nos miseri! humanam quanta inconstantia prolem
Exagitat! sincera ruunt et verba. Misertos

Illa oblita Deos, turbisque immixta Canopi,
Antiquos lusus, moresque obscæna petivit,
Forsan in Archenæ frustrà reditura liquorem.
32 Scilicet his Solymos lymphis conferre juvaret
Stagnantesque lacus, undarum et murmura Divûm
Mota ministerijs. Lassis redijsse vigorem,
Ignotosque animos; iterum vidisse micantes
Stellarum cursus, et lucis amabilis ortus,
Quos pressere diu confusâ nocte tenebræ,
Quid memorem? Vidi dilata silentia linguæ
In notos rupisse sonos: durissima nodis
Membra, nec humanos dudum reddentia flexus
Explicuisse suum rursus firmata vigorem.
Jam graditur festina vias, quæ membra bacillo
Clauda regebat anus, socio non indiga fulcro.
Sic oculorum acies obtusa; inflata tumore
Brachia; distentus lympharum pondere venter,
Et curæ insomnes, et colla rigentia, et ignis
Qui faciem serpit, tum quæ miseranda resolvit
Ora vorax sanies, et non tangenda medenti,
Cedit aquis; cedunt et fœtida vulnera, morbi
Pallentes, tumido fervens et corde venenum.
33 Hic Deus, hic præsens habitat Deus; ardua montis,

---

32 *Aliæ curationes.*
33 *Mira Dei providentia.*

Atque cavas latebras, cæcæ et telluris hiatus
Incola numen habet; superâ virtute quietos
Ille lacus, undasque ciet; regit ille fluentes
Thermasque, fluviumque, ægris medicamina. Cæcos
Sponte suâ quamvis lateas, mihi, dia salutis
Causa, pates, notumque, Deus, te lumine præbes!
34 Sive parens rerum, cum tot miracula præter
Naturam undarum exhibeat, promiserit ægris
Conditione loci dilecto in fonte medelam;
Sive metalliferis, potiùs quod credere dignum est,
Insit robur aquis; certâ ratione juvabit
Virtutem undarum, et causam exposuisse medendi.
Longus nempe labor, nostra nec ab arte petendus,
Quam sibi quisque velit rationem morbus, et omnem
Edocuisse viam, quâ tot miracula thermæ
Ediderint; paucis, animos adhibete, docebo
Aut veram, aut veris causam rationibus aptam.
35 Ut primùm in thermas curis ingentibus eger
Anxius ingreditur, lympharum et pondere totum est
Oppressum corpus; laxata mearia sensim
Humorem accipiunt: spiramina multa relaxat
Fervidus humor aquæ; penetrat celer intima virtus
Viscera, et in totam dilabitur ignea molem.

San-

---

34 *Breviter de ratione thermarum.*
35 *Balneum.*

Sanguis hebes, segnes moles scindente metallo,
Acrior urget iter; nec noto robore fultum
Cor micat: exsangues distendit pulmo meatus.
Nulla quies; patuli festinat anhelitus oris;
Vena tumet, torto vibrataque sanguine laxat
Vel minimos rivos, et inerti in corpore rursus
Vita viget, nervique suos aptantur in usus.
36 Postquam illoti artus ægri petiere quietem,
Contectique jacent clauso in conclave reposti,
Sudor ab ardenti multus cute manat in auras:
Membra rigat; guttæ exundant; rivum occupat alter
Rivus; hiant venæ, et rimas laxante calore
Æger adhuc mersus thermarum creditur undis.
37 Scilicet obstantes concreto in sanguine moles
Diluit unda fluens, venisque inclusa recursat
Usque adeo flexus, minimosque in corde recursus,
Ut quæ segnis erat, gravis, et cretosa molestos
Præcipuè serâ questus sub nocte ciebat,
Massa fluat diluta: redit sic artubus usus,
Dum fugit obstaclum, nec inertia pondera sidunt.
38 At natura suas vires dum contrahit in se,
Nec patitur laxis dilabier optima venis

Bal-

---

36 *Sudatorium.*
37 *Curant, quòd diluunt.*
38 *Quòd expellunt.*

Balsama, per patulos largo sudore meatus
Nititur externos expellere provida succos,
Funestamque ciet miro conamine pestem.
Nec mireris aquam partes disjungere ineptas,
Et sanas retinere. Aliquas sanas abijsse fatebor;
Pessimus ast humor multus fluit: adspice ahenum
Exundans flammis, et mel fervore resultans.
Multa natant externa simul; sed cuncta cohæret
Fæx pellenda super, molem et glomeratur in unam,
Si jacis albumen: sic sulphur, et intima virtus
Sanguineas ingressa vias, sejungit iniquum
Humorem, et gratas conservat corpore vires.
Adde quod et pressæ venæ, nimiove calore
Distentæ, fluxus majoribus ictibus urgent,
Seponuntque malas ab puro sanguine lymphas. (tum
39 Mundat enim sacer humor aque non intima tan-
Viscera, sed corpus, fœdataque vulnera; namque
Ut laceræ partes, quæ putrescente veneno
Marcescunt, sensere sales, et acumen aquai;
Extemplo et venæ salienti verbere, et undæ
Vi rodente cadunt á sano corpore frustra
Putria, seu potius sanies resoluta recedit.
Hinc roseus carni rursus color; alba cicatrix
Serpit, et antiquum repetit concreta vigorem.

Ta-

39 *Quòd mundant.*

40 Talia præsertim tribues accepta fluento
Munera, servandis jussis si totus adhæres,
Quæ servanda canit Medicæ prudentia gentis.
Ingreditor jejunus aquas; vel tenuia mane
Sume alimenta; animus cæcum ni forte minetur
Deliquium. Calido corpus ter quinque minuta
Temporis abde lacu. Sudorem tectus, ab undis
Egressus, serva spatium par; fœtida caldæ
Pocula mane bibas, et cum ventura videtur
Stella Dionææ matri sacra; protinus arctas
Perge vias; vel clausè casæ sub tegmine, rursus
Sudoris rivos, et membra liquentia cura.
Nec Veneri interea indulge, nec multa frequentes
Pocula Lenæi. Salium, piperisque saporem
Effuge mordacem. Fateor, non omnibus unum
Jus dicendum ægris; Medicus præscripserit esum,
Et potum, et quoties thermas intrare necesse est
Marcentes animas; tum quæ post balnea primò
Sint vitanda viris; queis tandem legibus artus
Antiquum robur, post tædia longa, resumant.
41 Hic modus, hęc virtus, tantæ et miracula lymphæ.
Hinc favor, et plausus populorum; hinc salva Saluti
Gens bona verba canit, donis et vota repensat.

Sed

---

40 *Præstanda ab ægris.*
41 *Epilogus.*

Sed quæ deterior cedit pars, pessima morbi
Cum ruit in miseros vis non medicabilis arte;
Vel meritos Hecatæ tandem cum destinat ultrix
Ira Dei scelerum, nullo flectenda piatu,
Dum sera incubuit, positasque recolligit iras;
His lachrymis torquere genas, his scindere vestes,
Dilaniare comas, et crebro verbere pectus
Pulsare, et timidis rigidos urgere querelis
Cœlicolas solamen adest; vel dira precari
Funera; nam miseris visa est mors optima, quando
Semper vita timet, stimulisque urgetur amaris.

THERMÆ ARCHENICÆ.

Num. 1 *INvocatio, & propositio.*
2 *Ludrica non canimus.*
3 *Loci descriptio.* Saltus-Cervi.
4 *Scopulus* Verdeleña.
5 *Fons thermalis.*
6 *De origine fontium.*
7 *De ea opiniones.*
8 *De thermarum origine.*
9 *Invocat Deum.*
10 *Pyrophylacia Kirkeriana.*
11 *Inde thermæ.*
12 *Et ex collusione sulphuris, &c.*
13 *Non ex motu aquarum.*
14 *Nec ex radijs solaribus.*
15 *Rejicitur Democritus.*
16 *Vetus inscriptio Archenæ.*
17 *Rejiciuntur alij.*
18 *Restant fornaces.*
19 *Et corrasa metalla.*
20 *Hinc thermarum diversa virtus.*
21 *Hispaniæ laus.*
22 *Analysis aquæ Archenicæ.*
23 *Casæ ad thermas.*

In

24 *In luxum invehitur.*
25 *Balnea gemina.*
26 *Sudatoria gemina.*
27 *Thermarum tempus.*
28 *Ægrores curandi.*
29 *Mortua pæne puella restituta.*
30 *Senex ulcerosus.*
31 *Puella Aphrodisiaca.*
32 *Aliæ curationes.*
33 *Mira Dei providentia.*
34 *Breviter de ratione thermarum.*
35 *Balneum.*
36 *Sudatorium.*
37 *Curant, quòd diluant.*
38 *Quòd expellant.*
39 *Quòd mundent.*
40 *Præstanda ab ægris.*
41 *Epilogus.*

TERMAS DE ARCHENA,

O

POEMA PHISICO DE LOS BAÑOS

calientes de la villa de Archena en el reino de Murcia.

POR D. IGNACIO LOPEZ DE AYALA,

Catedratico de Poetica en los Estudios Reales de Madrid.

EN MURCIA,

POR FRANCISCO BENEDITO.

Año de 1777.

Con las licencias necesarias.

A LA ERUDITA JUVENTUD

DEL COLEGIO DE SAN FULGENCIO

DE MURCIA.

DE Hercules Tebano se refiere, que reprobando el camino espacioso, divertido i lleno de placeres, que le proponia el Deleite; siguió otro, aspero á primera vista, pendiente, i montuoso que le mostraba la Virtud en trage de una gravisima matrona, heroica, i hermosa sin aliño; de cuya determinacion resultaron al mundo inmensos beneficios, i al mismo Hercules la fama perdurable que goza entre los hombres.

Esta narracion, aunque fabulosa, nos enseña, eruditisimos Jovenes, que para la eleccion de estado, ó carrera que emprendemos, es necesario huir los atractivos engañosos del deleite, i abrazar el camino de la virtud: porque este, aunque sembrado de peligros, expuesto á mil trabajos, i lleno de dificultades, es el unico que conduce á la verdadera felicidad. Si bien es cier-

cierto, que apenas se encontrará en la vida humana estado alguno en que no sea menester superar mayores obstaculos; i no obstante á ninguno otro se le adjudican iguales premios. Acordad-os de tantos varones ilustres que se han distinguido en la politica, i arte militar; considerad la eterna fama de tantos sabios escritores. Lograron por ventura la distincion que gozan entre los demas mortales con el ocio, el descuido, i abandono? Antes por el contrario, haciendo rostro á los peligros, combatiendo en medio de infinitos riesgos, i trabajando con zelo infatigable labraron su propria gloria, i procuraron para los Estados beneficios indecibles.

Mas por qué me detengo en ponderar dificultades? Porqué hè de aparentar trabajos en una carrera, que siendo la mas conforme á la parte racional, tranquiliza el espiritu al mismo tiempo que ilustra la razon? Que por el corto tiempo que sacrificamos en cultivarla, nos hace dueños de nosotros mismos, i nos libra de mil pasiones groseras, é indecentes? I por otra parte vosotros no teneis que vencer los obstaculos comunes á qualquier particular; porque os gobierna un prudentisimo Prelado, que no perdona diligencia alguna, ni cau-

caudales , como cedan en vuestro proprio beneficio. ¿Con quanta circunspeccion , con quanto acierto ha escogido la doctrina que aprendeis ? la doctrina repito, que aprueban todos los sabios de nuestro tiempo , i que enseñan con sumo aplauso gravisimos Doctores en las Universidades mas autorizadas de la Europa , i en la misma Roma , que es la cabeza , i maestra del mundo catolico.

En la Latinidad ha asignado por modelos á Phedro , Cornelio Nepos , Terencio , Tito Livio, Ciceron i demás maestros de la verdadera eloquencia ; i por aquella multitud de futiles questiones Philosophicas, ha determinado se explique la naturaleza misma, segun las opiniones de Neuton , i del Padre Francisco Facquiér , maestro que fue en Roma en el colegio de propaganda Fide. *I que explendor no participa la Tologia que aprendeis , (esto es , la doctrina de Jesu-Cristo) de las certisimas sentencias de san Agustin? Quanto nervio, quanta solidez , i verdadera erudicion? Porque no se aprende en ella aquel desenfrenado prurito de disputar perpetuamente ; antes bien en lugar de meras formalidades en que algunos Escolasticos pierden el tiempo , se tratan gravisimas questiones contra los ene-*

migos de nuestra Fé, i de la moral cristiana; i en lugar de aquella variedad de opiniones mal fundadas, se enseña lo que deciden, lo que advierten, mandan, ò prohiben, la Escritura santa, los sagrados Concilios, los sumos Pontifices, i los santos Padres. A lo que se agrega una exacta noticia de los errores i absurdos de tantos heresiarcas, que han procurado alterar con sus delirios las verdades de nuestra Fè Catolica.

Con tan admirables providencias se ha logrado extirpar enteramente la mortal discordia, que causaba tan turbulentos disturbios por defender cada escuela su partido; pareciendo con razon á la prudencia del Prelado, que es mas conveniente trabajeis, i peleis por entender la verdad, que no el que noteis con acerbisimas censuras á los discipulos de una misma escuela, i de un mismo maestro Jesu-Cristo.

De aqui podeis inferir la detestable malignidad de aquellos que declaman contra doctrina tan acendrada i pura. Por ventura pretenden estos censores, i que no entienden, ni aun han leido lo que reprueban, pretenden, repito, condenar á Roma, Paris, Bolonia, Pisa, Padua, Napoles, Lisboa, i Madrid, donde se enseñan los mismos sistemas que aprendeis? A que viene abul-

abultar peligros , i manifestar temor de que se corrompa la religion con este metodo , si apenas hai pais catolico que no repruebe yá las futilidades , i adopte i siga vuestras mismas opiniones ? Catolicos eran i religiosos Franciscanos Fortunato de Brixia , i Benedicto de Carpentras ; catolicos i religiosos Minimos Saguens , Maignan , i Jacquièr ; catolico piadoso i sacerdote del Oratorio el Padre Tosca ; catolico i General de las Escuelas-pias el Padre Eduardo Corsini ; catolicos ultimamente Eusebio Amort, Paulian, Pichèr , i otros infinitos que enseñaron los sistemas contra que fulminan estos declamadores importunos. Pues á que fin aparentar misterios , i dolerse de que la enseñanza está perdida, con ademanes de hombres que comprehenden mas que los demás , i con aire de doctores compasivos que lloran la perdicion de los sencillos i engañados ? La Logica moderna enseña tambien á discernir las imposturas ; ese sentimiento , esas quexas , esas declamaciones son buenas para el vulgo. Sabemos que no se califica la ciencia por los estados , por las dignidades , ni por los titulos pomposos ; i sabemos que baxo la apariencia de zelo se encubre muchas veces la malignidad , el amor proprio, la embidia , el interès , i ultimamente una soberbia refi-

nada, que pretende mantenerse en la posesion de la sabiduria, que no tiene, enroscandose baxo la mascara de afecto á la sana doctrina; pero la moderacion, i caridad condenan altamente el odio, i rencor que mueve á estos Pseudo-teologos á vomitar calumnias tan atroces contra los que siguen con la mayor veneracion el camino que los SS. PP. descubrieron, valiendose de la Philosophia mas acreditada en sus tiempos, para desarmar á los enemigos de nuestra santa Fé, que abusaban de ella contra nuestros mas sagrados dogmas. No es por cierto, no es el zelo cristiano quien les mueve á tan sangrientas satiras; sino un fundado temor de que aprendiendo otros solidamente, decaerá la orgullosa reputacion que se han adquirido con una ciencia tan fatua que casi es necesario olvidarla para comenzar a saber. Con obras sabias, con escritos solidos, con demostraciones innegables se impugnan los errores; no con declamaciones arbitrarias, no con bablillas vulgares, i dicterios. I si desconfian triunfar por este medio; tribunales justisimos tiene la religion, i el estado contra los errores i novedades profanas. Recurran a ellos, i cesen de alborotar, i de fingir peligros que solo tienen existencia en su voluntad; pues de

otro

otro mo do serà necesario poner en practica lo que unanimemente mandan los santos Padres , quienes de ninguna manera permiten se toleren las acusaciones , i nota en punto de religion.

Reconociendo pues las ventajas de tan sabio metodo, i la exactitud con que lo observais , no hè podido dexar de dedicaros este poema Phisico , ya por encontrar quien le dé alguna estimacion ; ya por daros yo gracias por el amor que profesais á las letras , i ya ultimamente porque quede en él un perpetuo testimonio de vuestra aplicacion , i del afecto que os tributo , i que deseo recibais con la bondad , que os es connatural. Murcia , i Febrero 25. *de* 1777.

Ignacio Lopez de Ayala.

TERMAS DE ARCHENA.

SEXTAS RIMAS.

1 SOmbras de Archena, sacra i honda fuente,
Segura rojo, de laurel ceñido,
De cidro opaco i de moral la frente,
I del ramo por Palas concedido;
I tù, ò numen propicio, à cuyo zelo
De esta tierra el cuidado entregó el Cielo;
Sed favorables al designio mio,
E inspirad á quien canta, quien habita
Vuestros profundos senos? quien al rio,
I á estas termas su influxo facilita?
Que supremo poder en estos baños
Cura del hombre lastimosos daños?
Que lei, que causa, ó fuerza inescrutable
Vuelve al antiguo sér, i á su pujanza,
Por contacto del agua saludable,
De los nervios la inquieta destemplanza?
De miembros impedidos la flaqueza,
I el debil cuerpo que á morir empieza?
Como restaura en el primer estado
Al hueso comprimido con dolores,

---

1 *Invocacion, i proposicion.*

O de escabrosa carne arruinado,
O deshecho en pestiferos humores;
Como dá vida, i vuelve á estado fuerte
Al que tocó las puertas de la muerte?
2 Mi canto aplaudan los que á Dios conocen,
I confiesan que son estos raudales
Dones suyos, que humildes reconocen
Con tierno afecto, i gracias inmortales.
A estos el templo augusto está patente,
Pero cerrado á la profana gente.
Lexos de aqui la multitud profana,
Que busca en Sibariticas canciones
